Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30783811

RHABARBARUM OFFICINARUM

PRAESIDE

D. IOANN. GEORG. GMELIN,

BOT. ET CHEM. PROF. PUBL. ORD.

D.   OCTOBR. MDCCLII.

H. L. Q. C.

AD CONSEQUENDOS SUMMOS IN MEDICINA HONORES

SPECIMINIS INAUGURALIS LOCO

PROPONIT

VICTOR BENGEL, Denkendorfinus.

TUBINGAE
LITTERIS ERHARDIANIS.

*** *** ***

Videbor multis crambem decies repetitam recoquere. Et diffiteri nolim, non pauca me prolaturum eſſe ex aliorum ſcriptis. Parcam tamen & tempori & ſpatio, & curabo, ne tractatio mea nimis inutilis videatur, adjiciam etiam quædam, quæ nondum ita perſpecta & cognita fuerunt.

Sub nomine Rhabarbari fere ab aliquot jam ſeculis circumlatæ ſunt ſequentes plantæ:

I. Rhabarbarum Alexandrinum.

Rhabarbarum officinarum C. B. P. 116. & I. B. II. 989. *App.* p. 1071.

Rhabarbarum genuinum officinarum PARK.

Rhabarbarum orientale var.

Rhabarbarum Sinenſe.

II. Rhabarbarum forte DIOSCORIDIS & antiquorum TOURN. I. R. H. 98. T. XVIII.

Rhapontium PROSP. ALP. *exot.* 187.

III. Rhabarbarum rotundifolium verum Munt. Brit. 192.

Rhaponticum folio lapathi majoris glabro B. *pin.* 116.

Rhaponticum ALP. *Rhap.* 1. t. 1.

Rheum LINN. *h. Cliff.* 155.

Rheum foliis glabris Ej. *hort. Ups.* p. 98. nro. I.

Rhabarbarum monachorum vulgi.

IV. Rha & Rheum DIOSC. C. B. P. 116.
Rhaponticum verum off. TAB. P. II. p. 593.
Hippolapathum ſilveſtre MATTHIOL. p. 207.
Lapathum rotundum GESN. *hort.* p. 263. b. & 203.
Lapathum rotundifolium CLUS. *pann.* p. 480. *Hiſt.* p. LXIX.
Et reliqua ſynonyma, quæ vid. HALL. Helv. 170.
V. Centaurium majus off.
Centaurium majus folio in plures lacinias diviſo C. B. P. p. 117. a.
Centaurium majus juglandis folio I. B. III. 38.
VI. Rhaponticum off.
Rhaponticum folio helenii incano C. B. P. p. 117. b.
Centaurium majus, Rha capitatum folio Enulæ ſubtus incano & hirſuto I. B. III. 41.

CAPUT I.
DE
LOCO NATALI RHABARBARI OFFICINARUM.

§. I.

In maximas controverſias immittere me neceſſum haberem, ſi omnia hæc pro rei dignitate forte excutere vellem. Tanta enim eſt confuſio tum apud veteres, tum apud recentiores materiæ medicæ ſcriptores, ut vix e labyrintho hoc vel ſperari tantum poſſit exitus. Maxime veriſimile eſt, poſt inſignem, quam argumento huic impendit I. BAUHINUS, diligentiam, Rhaponticum & Rheum veterum ſc. DIOSCORIDIS, GALENI, PLINII plane fuiſſe diverſum ab illo Rhabarbaro, quo hodie utimur. Hujus enim notitia tempore demum PAULI ÆGINETÆ cœpit fieri, ſc. ſub finem quarti, vel ſub initium quinti ſeculi poſt Chriſtum natum: medicis enim, qui ante illum fuerunt, plane incognitum erat. NICOLAUS MYREPSUS, qui ſub initium decimi tertii ſeculi vixit, in Droſato ſeptuageſimo duarum Rhabarbari ſpecierum meminit, ſcilicet Rhei barbarici & Rhei Indici ſive Scenitici, a locis Indiæ

Indiæ proximis, nempe Scenitis populis (Indos tamen intellectos eſſe quidam autumant) allati.

§. II.

FUCHSIUS noſter quum pariter obſervaſſet, veteribus Græcis, DIOSCORIDI, GALENO & THEOPHRASTO, atque inter Arabes SERAPIONI & AVICENNAE, rhabarbarum noſtrum incognitum fuiſſe, hac adductus ratione non amplius Rheon, ſed Rha appellandum eſſe cenſet, carpendo hoc PAULUM AEGINETAM, ACTUARIUM & NICOLAUM MYREPSUM, quibus ſimpliciter ῥέον appellatur. MESUE tria facit Rhei genera, unum Indicum, quod Raved Sceni appellat, omnium præſtantiſſimum. Alterum barbarum generis nomine vocat. Tertium Turcicum omnium ignaviſſimum. MESVE adſtipulantur MANARDVS, deſcriptiones utriusque conferens, & differentiam ex iis demonſtrans. Nimirum illud veterum rheum magis fuiſſe adſtrictorium ipſæ deſcriptiones evincunt. BELLONIUS * omne rhabarbarum, quod in Europam adfertur, erui ſcribit in Halepo & coli in Meſopotamia, at plantam neminem facile vidiſſe. Sed, CLUSIUS addit in nota, perperam BELLONIUS per Indiam & Seni regionem Aſamiam ſive Meſopotamiam intelligit ſive interpretatur.

§. III.

GARCIAS contendit, quod omne Rhabarbarum, quod in Indiam, Perſiam & Europam importatur, in Chinarum regione naſcatur, unde per Tatariam Ormuz & Alepum deferatur, inde & Alexandriam & tandem Venetias, unde reliqua Europæ regna idem petant. Nullum eſt Rha barbaricum aut Indicum, ſed ſolummodo Chinenſe, quod Ravam Chini Perſæ appellant, Mauritani tamen plerique ſolummodo Ravam. Rhabarbarum, pergit ACOSTA, in interiore duntaxat Chinarum regione provenit, unde in urbem Cantam (Canton) exportatur & inde navibus in Indiam advehitur.

* Obſerv. ed. CLVSIO 1605. p. 156.

tur. Alia item via ex eadem provincia camelis deferunt per Tatariam, quod non adeo carioſum &c. Rhabarbarum mittit China, regio ultra Calechut: montes Singui civitatis & provinciæ Succhur, magno Cham ſubjectæ. Sed in Chorazani regione Perſidis inprimis mira eſt ejus copia. Id ea conjectura ſe adſequutum ſcribit LUDOVICUS ROMANUS navig. quod ſenæ Rheubarbari libræ noſtro more pondo unciarum duodecim, ſingulo aureo veniebant. Pleraque hæc mutuati ſumus ex IOH. BAUHINI Tomo II. App. p. 1071 & 1072. Locum rhabarbari natalem in provincia Setſchuen, & in montibus nive perpetua tectis Schenſi deſcribit I. B. du HALDE *; alio in loco ** ſcribit, optimum provenire in provincia Setſchuen. Quæ ex provincia Schenſi & ex regno Tibet afferatur, præſtantia multo eſſe inferiorem docet. Aliis etiam in locis provenire, ſed non admodum æſtimari. SCHURZIUS *** cum multis aliis auctoribus fluvium Rha ſ. Wolgam pro loco natali habet. Sed fluvium Kiang in Sinis proventui Rhabarbari boni favere, in inſula Xanxi Rhabarbarum dici Tai-hoang (id etiam affirmat P. du HALDE, eam in Sinis ita vocari) cura & induſtria inſigni plantari, non enim eſſe ſilveſtrem, in Perſia etiam multum naſci. Ex inſula Xanxi & ex provincia Suchin (forte Setſchuen) plurimam partem rhabarbari ad nos in Europam transferri. Quosdam etiam dicere, apud Medos, Armenos, Perſas & in Tataria copioſe naſci, exinde ad nos adportari. LEMERY † Chinenſem & Perſicam regionem patriam illius eſſe putat. HERMANNUS †† Lapathi maximi Sinenſis radicem vocat, ſed BOECLERUS, ejus commentator pag. 118 plantam vocat, quam nos primo loco recenſuimus, & credit,

bene

* Ausführliche Beſchreibung des Chineſiſchen Reichs Part. I. pag. 31.

** ib. P. III. pag. 520.

*** Neueingerichtete Material-Kammer, Nürnberg 1672. p. 76.

† Traité univerſelle des drogues ſimples, Paris 1714. p. 717.

†† Cynoſura Mat. med. ed. Bœcler. 1745. Argentorat. p. 115.

bene coincidere cum MUNTINGIANA deſcriptione, quæ BOIMUS in Flora Sinica & KIRCHERUS in China illuſtrata de hac planta diſſerant; KIRCHERUM etiam univerſam Chinam locum ei natalem aſſignare, in provinciis tamen Su Civem (Setſchuem) Xenſi (Schenſi) atque Socieu civitate, ad muros Sinarum proxima, uberius provenire.

§. IV.

WITSENIUS in ſecunda editione Tatariæ borealis & orientalis, quæ prodiit 1705. p. 80. Nertſchiæ (Nertſchinsk) & Udinii (Udinsk) p. 503. Selengiæ (Selenginsk) provenire ſcribit, ultimo loco magna in copia, primis locis raro eam colligi aut aliorſum portari ſimul meminit. Sed & eodem in libro p. 218, in Mongalia proxime ad Sinicum murum intra montes & valles in locis lapidoſis & humentibus eam naſci contendit. Ibidem ſcribit, quosdam mercatores Bucharos Moſcuæ propoſuiſſe, velle ſe ſatis notabilem rhabarbari quantitatem per Sibiriam ejusque metropolin Tobolium (Tobolsk) Moſcuam apportare, unde clarum ſit, quod rhabarbarum in maxime borealibus regionibus Mongaliæ naſcatur. Si enim naſceretur in meridionalibus regionibus, viam per Buchariam & mare Caſpium fore opportuniorem & breviorem. Rurſus p. 226, ex meridie Pekini in provincia quadam optimum rhabarbarum æſtate coli & Mongalis atque Indis vendi, unde aliis nationibus & Bucharis vendatur. p. 336 provincia Boutan & p. 344 provincia Kaskar prædicantur tanquam feraciſſimæ rhabarbari regiones. De priori tantum additur, periculum eſſe, ne transportatione lædatur merx, quæ humiditatis prorſus impatiens ſit. p. 790. Ex Sina & Mongolia in Sibiriam transportari & mercem Sibiriæ transeuntem tantum eſſe. Non procul a muro media in Tataria naſci & Tataros eo ad ſacrificia ſua quæ fumis perficiant, uti. p. 825. In provincia Sinica Suchuen multam & amplam naſci radicem rhabarbari, docente id relatione, quam Moſcua dederit, magnam etiam ejus copiam in locis deſertis Tangutum verſus exporrectis haberi, ubi Buchari & quidem Chalmuccici cives coemant eam, atque in Sibiriam advehant.

§. V.

§. V.

Diffiteri nolim, nec me quæſtiunculis Chalmuccos & Chalmuccicos Bucharos reliquiſſe intactos, qui negotiorum cauſſa per Tanguticas terras in Chinam proficiſcuntur: ab illis vero reſponſum retuli, rhabarbarum utplurimum naſci circa finitimas Tanguticæ regioni Sinenſes urbes, Doba, Selin, Juktſchi, Kantſchi, in ipſis etiam Tanguticis terris & circa lacum Kokonor, qui Sinis ex occidente, Tanguticæ vero regioni ex ſeptentrionibus ſitus ſit. Urbes vero modo nominatæ Sinenſes Bucharicis nominibus expreſſæ ſunt. In mappa STRAHLENBERGIANA, in qua Ruſſici imperii ichnographia exhibetur, urbs Sinenſis Dobba-Selin habetur, (quaſi unum nomen eſſet,) ad fluv. Goango, in provincia Schenſi, non procul a lacu Kokonor, in mappis vero geographicis Chinenſibus nec hujus, nec aliorum ſupra indicatorum nominum ulla fit mentio, unde impoſſibile eſt convenientiam aliquam Chinenſium nominum cum hiſce conjectare. Hoc unum generaliter affirmare licet, mappas Chinenſes cum STRAHLENBERGIANA & cum notitia ſupra ſignificata in eo convenire, quod provincia Schenſi ex adverſo lacus Kokonor & provincia Setſchuen ex adverſo Tanguticarum terrarum ſitæ ſint, unde palam eſt, Chalmuccos & Bucharos, ad Sinas proficiſcentes, vel per Tanguticas terras, vel ſecundum lacum Kokonor profectionem inſtituere oportere, nec aliis in locis advenire poſſe niſi in provincia Setſchuen vel in provincia Schenſi. In iisdem provinciis non pauci commorantur Buchari, ſceptro Sinico ſubjecti, cum quibus peregrinantes hi Chalmuccenſes Buchari propter convenientiam linguarum opportunius quam cum Sinis ipſis mercaturam exercent. Hi etiam ſæpius illinc Rhabarbarum exportarunt, qui olim eandem mercem in Sibiriam mercandi cauſſa advexerunt, nonnunquam in Jamyſchewenſe usque caſtellum, ſubinde etiam Tobolium usque. Sed ab anno 1717, quum a Chalmuccis bellum indiceretur Tanguticis provinciis, quæ & propter ejus belli velocitatem & vim inopinatam, Tangutis illatam, Chalmuccis ceſſerunt, ſed propterea flammam belli

belli Chalmuccos inter & Sinas excitarunt, hæc via nulli Chalmuccorum amplius patuit, & ex eo tempore nec Rhabarbarum amplius ex illis terris in Sibiriam advectum fuit. Cum autem A. cIↃIↃCCXXXIX Chalmucci cum Sinis pacem pepigiſſent, illi mercaturam antea exerceri ſolitam redintegrarunt, & ex illo etiam tempore rhabarbarum rurſus advexerunt, cujus etiam exemplum anno 1741 ipſi conſpeximus, quo anno legati Chalmuccorum magnam rhabarbari vim Tobolium advexerunt, ut cum eo mercarentur. Hoc enim munere hæ gentes non indignam reputant mercaturam.

§. VI.

Non autem hi tantum Chalmucci & Chalmuccenſes Buchari hac via iter ſuum ad Sinas proſequuntur, ſed & magnæ Buchariæ incolæ, quia jam Perſarum Regis imperio ſubditi ſunt, iisdem in locis cum Sinis mercaturam faciunt, & inter alias merces rhabarbarum etiam inſigni copia exportant, quod per totam Perſiam venale circumferunt, unde etiam hac via ad portus mediterranei maris non parva copia affertur. Eadem autem ratione, qua Buchari Chalmuccici in Sibiriam & Ruſſiam important rhabarbarum magna copia, etiam Buchari Sinenſes in finitimis Tangutorum terris urbibus commorantes, illud quaquaverſum in Sinicum imperium transmittunt, & præcipue in metropolin Pekinum, unde etiam interdum commutatione mercium migrat in Ruſſicum imperium. Sed & ab iisdem Bucharis Sinenſibus, lucro ſuo inhiantibus & occaſionum, ubi merces ſuæ optime omnium veneunt, apprime gnaris, in maritimas Sinarum oras inprimis Cantonum rhabarbarum aſportatur, ubi Hollandicæ, Anglicæ, Gallicæ, Suecicæ, Danicæ naves appellunt, & ſæpe de pretio rhabarbari inter ſe certant. Ceterum ex mappis Geographicis Sinenſibus edocemur, provinciam Setſchuen inter viginti ſex & triginta tres gradus, provinciam Schenſi inter triginta tres & triginta novem gradus, lacum Kokonorem ſub gradu trigeſimo ſeptimo, & Tanguticas terras inter vigeſimum ſeptimum & trigeſimum quintum gradus ſecundum latitudinem borealem conſtitui.

§. VII.

Ex ſuperioribus tum variorum, tum a me communicatis relationibus obſcurum non eſt, valde eſſe veriſimile, pretioſam hanc radicem vel in confiniis Sinarum, vel in ipſo hoc imperio naſci, cui admodum favet relatio presbyteri Tangutani,* qui rhabarbarum ſua lingua Gſungka vocari dixit atque ejus radicem in ſuis terris ad infantis capitis magnitudinem copioſe creſcere aſſeruit.. Quod ad Wolgam fluvium haud naſcatur, neque in Sibiria, ullave ejus provincia, de hoc quidem certus ſum. Neque ullæ rationes ſunt, ut credam, inter Amurem fluvium & murum Sinenſem ejus eſſe natales, quia opportunitas non deeſſet, illam etiam hiſce ex regionibus in Sibiriam aſportandi: nullo autem indicio aut rumore adhuc compertum eſt, unquam id factum fuiſſe. Loca illa autem varia Indiæ & Barbariæ, ut & Perſiæ, quæ antiquitus ceu loca illius natalia deſignata ſunt, ex ignorantia ortum ſuum trahunt, unde fit, ut hodiernis temporibus, queis major jam & luculentior harum regionum eſt notitia, nemo cordatiorum & fide dignorum peregrinatorum talia fabuletur. Ex relatione potius illa, quam nos dedimus, & quæ inconcuſſa fide nititur, patet, qua ratione rhabarbarum ex provinciis Sinicis nominatis ad varios mediterranei maris portus devectum & exinde in omnem Europam adhuc diſtractum fuerit. Quare nulli dubitamus, provincias illas Sinicas tanquam verum locum natalem rhabarbaro adſignare.

CAPVT II
DE
PLANTA RHABARBARI OFFICINARVM.

§. VIII.

I. BAUHINUS L. II. p. 986 dicit: „*Quod vulgus Europæ, ait Sylvius de ſimpl. pro rhabarbaro paſſim in hortis ſerit, lapathi genus omnino videtur, licet radicis colore rhabarbaro nonnihil ſit affine, viribus tamen plurimum abeſt. At cum reliqua rhoi utriusque hiſtoria nemini ſcribatur, convincere nequeas, congenerem plantam*

* IO. AMMANI ſtirpium rariorum in imperio Ruthenico ſponte provenientium icones & deſcriptiones. Petropoli cIↃIↃccxxxix. p. 8.

tam vel degenerem, vel diverſam, niſi ex partis unius natura. Candide pro more ſuo BAUHINUS hic aperit mentem ſuam, cui prorſus ſuffragamur, & in hujus rei evidentiam majorem quædam addimus.

§. IX.

Rha barbaricum CORD. Libr. IV. Cap. LVIII. p. 201 ex mente CONR. GESNERI * ſub nomine *Lapathi Lapathis omnino affine eſt*, hæcque CORDI icon valde ſimilis eſt iconi rhabarbari II. quam habet TABERNAEMONTANUS. ** Speciem definire non audemus. Forte fuerit illa planta, quam nos III loco memoravimus ***.

§. X.

Rhabarbari MATTH. icon, quæ non differt ab icone TAB. † & IO. BAUHINI ††, nec, ſi a paucis diſceſſeris, quod nimirum plures flores pentapetaloidei quam tetrapetaloidei pingantur, ab icone rhabarbari lanuginoſi ſive lapathi Chinenſis longifolii, quam ABRAHAMUS MUNTINGIUS ††† exhibet, cujusque C. BAUHINUS in pinace II loco meminit, & de qua neſcit, an exprimat rhabarbarum officinarum, varia dubia ſubminiſtrat, quæ plantam cognitu difficilem reddunt. MUNTINGIUS plantam ſuam deſcribit, quaſi ipſe naſcentem vidiſſet, quin tantas in plantam hanc laudes effundit, ut *raram in Hollandicis terris* vocet, *viſu peramœnam, atque ad hominum infirmitatibus medendum, ab immortali Deo ad illius gloriam perpetuo celebrandam liberali manu benigne productam.* Quis igitur dubitet de auctore, qui cetera non eſt ſuſpectus atque famæ non exiguæ? De quo Cl. BOECLERUS †††† ſcribit, ipſum hunc

* Hort. Germ. VALERII CORDI libro adjecti. Tiguri 1561.

** Neu vollkommentlich Kräuter-Buch ed. C. BAUHINO Francof. 1625. Part. II. 590. b.

*** PETR. ANDR. MATTHIOLI opera Ed. C. BAUHINO fol. Baſ. 1674. Comm. in Libr. III. DIOSC. p. 478.

† l. c. p. 590. a.

†† Lib. II. p. 989. Cap. X.

††† Diſs. de vera herba Britannica Amſt. 1698. p. 196.

†††† HERMANNI Cyn. mat. med. ed. ſec. p. 118.

hunc auctorem *plantam banc in Belgio excoluiſſe florentemque obtinuiſſe*, IO. etiam RAIUS *, eam in hortis Lugd. Bat. & Grœning. coli. Mihi certe non conſtat, ex quo elici poſſit, MUNTINGIUM vel ullum alium hanc plantam unquam florentem vidiſſe, etiam icon, quam repetit MUNTINGIUS in Phytographia curioſa Amſtelædami MDCCXI recuſa, nihil prorſus abludit a jam allegata icone, niſi quod magnitudine illam excedat. Mirum etiam videri poſſet, quod auctor flores tetrapetalos & pentapetalos deſcribat & pingat monopetalos. Ad claſſem certe aſperifoliarum RAII adſcribenda videtur, ubi Lapathum & rhabarbarum etiam omnino exulat. Aut igitur commentitia eſt planta, aut hujus generis non eſt. Cautum agere videtur ſimulatorem MUNTINGIUS, ne aſſeveret plantæ ocularem inſpectionem, quaſi reformidaret reprehenſionem.

§. XI.

Caulis, inquit du HALDE **, arundinem arborem minorem, quæ Tabaxir dicitur, craſſitie æquat. Interne cavus eſt & valde fragilis. Altitudine tres vel quatuor pedes æquat & colore obſcure violaceus eſt. Secundo menſe h. e. noſtro Martio, ex radice propullulant folia longa & craſſa. Ad unum ſurculum ſemper quatuor exiſtunt, quæ invicem figura calicis adaptantur. Flos eſt luteus, ſæpe etiam violaceus. Quinto menſe ſemina fert nigra milii magnitudine, octavo menſe radix eximitur, quarum optima cenſetur, quæ graviſſima & intus maxime marmoreis venis diſtincta eſt.

§. XII.

Chalmucci & Buchari Chalmuccenſes caulem plantæ ſesquiulnæ altitudine, folia maxima lata, flores ceraſorum colore nobis deſcripſerunt.

§. XIII.

Familiæ Soc. Jeſu ſodales, iique Pekinenſes, A. cIↃIↃCCXXXVII cum Academia ſcientiarum Petropolitana apographum epi-

ſtolæ

* Hiſt. plant. P. I. p. 170.

** In der Beſchreibung des Chineſiſchen Reichs l. c. P. III. p. 520.

ſtolæ communicarunt ab inſigni quodam viro ad ſe 1734 datam, in qua rhabarbarum tanquam radix prædicatur per plantationem propaganda, neutiquam ſilveſtris, quæ ſemina nulla ferat, ſed tantum propaginibus augeatur. Solum ad plantationem rhabarbari eadem epiſtola requirit non depresſum & humens, ſed altius, ſoli expoſitum & apricum, æquale, pingue. Hæc vero omnia ad verum plantæ characterem agnoſcendum nihil faciunt.

§. XIV.

WITSENIUS l. c. p. 218 dicit, ſe ante viginti quinque annos (1680) ſemen hujus plantæ in Hollandia ſeviſſe, quod Aſtracanio per Moſcuam ad ſe miſſum fuerit. Addit, anno cIɔIɔcLXXXV ejusdem generis ſemen una cum foliis plantæ Moſcua ſe accepiſſe, quæ Moſcuæ ex recenti radice & ſemine, (quæ e Mongalia illibata acceperit & intemerata,) progerminaverint, & læte ſuccreverint, atque vero rhabarbaro, a MATTHIOLO deſcripto, ſimillima fuerint. Sed & eam radicem, quæ tam in Hollandia, quam quæ Moſcuæ ſuccrevit, viribus veri rhabarbari longe inferiorem deprehenſam fuiſſe, fuiſſe vero longam, tenuem & aquoſam nec tantæ ſoliditatis aut in venis varietatis vivacitatisque colorum. Idem experimentum ſe cepiſſe affirmat tertium in radice, quæ ſuccreverat ex ſemine, per Archangelopolin ex iisdem regionibus accepto.

§. XV.

Unde nec exinde plus lucis adfunditur plantæ noſtræ. Ex eo, quod WITSENIUS ſcribit, plantam fuiſſe ſimillimam MATTHIOLI plantæ, nihil ſequitur: non enim fuit Botanicus, & licet egregia præſtiterit vir optimus, in botanica tamen ſcientia & in characteribus præcipue plantarum definiendis & dijudicandis eruditorum vulgo accenſendum eum fuiſſe nihil eſt, quod dubitem, cum certo ſciam, non dignitatem viri ſequi hanc ſcientiam, ſed potius patientiam laboris & rerum minutiſſimarum exactam obſervationem.

 §. XVI.

§. XVI.

A Lojolitis autem nihil eſt, quod ſolidi hac in re expectemus. Tolerantur in Sinis propter acumen ingenii, cui judicium jungunt ſolidum, ſed & idem facit, ut deſpiciant omnia illa, quæ exiſtimationem ipſorum apud populum, cui Europæus orbis unico tantum oculo inſtructus eſſe videtur, diminuere valent.

§. XVII.

Quid igitur? Superſunt aliæ plantæ ad hanc familiam relatæ. Agnoſcimus pro vera Rhabarbari radice iconem, quam C. BAUHINUS deſcriptioni & iconi plantæ MATTHIOLI ad latus addidit, quæ etiam exprimitur in TABERNAEMONTANO * ſub nomine Rhabarbari III. Nec minus pro genuino Rhabarbaro habemus iconem radicis I. B. ** quin & varias variorum auctorum deſcriptiones radicum qualitates rite exprimere cenſemus, quales ſunt e. g. quod cortex externus ſit nigricans ſive fuſcus: quo plus enim nigricantis coloris adeſt, eo ſuſpectius eſt; quod, ubi aliquo modo attritum, circularibus zonis rugoſum ſit; cetera valleculis tuberibusque inæquale, ſatis grave, attamen non valde compactum, ſed nec nimis rarum, intus colore fere nucis moſchatæ, croceum, criſpo linearum non ſature, ſed pallide rubentium diſcurſu veluti undulatum, non ſine albore quodam admixto; quod etiam confractum ex rufo & glauco disgregationem quandam oſtendat, ſapore ſit amaricante haud ingrato nec vehemente; quod inter mandendum glutinoſum ſit cum levi adſtrictione, & liquorem, cui infunditur, croceo colore tingat; quod radicem non nimis longam habeat, ſed potius in latitudinem diffuſam. Volunt etiam, ne nimis magnis fruſtis in uſum trahatur, quia ejusmodi fruſta facile putrida fiant & carioſa.

§. XVIII.

* l. c.

** L. II. p. 929.

§. XVIII.

Ipſe occaſionem nactus magnam copiam Rhabarbari contemplandi, hæc, quæ ſcripſi, veriſſima deprehendi & cognovi, verum rhabarbarum ex hiſce notis melius dignoſci, quam ex quibuscunque aliis, artificioſiori paullum methodo conquiſitis. Nec enim veriſimile eſt, quascunque radices unius ejusdemque vel partium gummoſarum vel reſinoſarum quantitatis participes eſſe. Sic Cl. IO. FRID. CARTHEUSER * uni rhabarbari unciæ extracti gummoſi unciam ſemisſem & grana aliquot aſſignat, ſpirituoſi autem licet meminerit, judicat tamen potiſſimum phlegmati menſtruis ſpirituoſis inhærenti, adſcribendum eſſe. Quum adhuc Petropoli morarer, ſæpe in quantitatem utriusque extracti inquiſivi, diverſasque reperi, atque etiam a Pharmacopolis ejus loci diverſas quantitates prodiiſſe cognovi. Heic Tubingæ infuſionem duarum librarum civilium feci cum aqua pura cumque ea digeſtione tranquilla & ſatis diu protracta & poſtea expresſa obtinui extracti gummoſi uncias duodecim, quæ pro una uncia faciunt tres drachmas. Reſiduo affudi aliquam quantitatem ſpiritus vini rectificati, ex qua poſt digeſtionem ſufficientem extracti reſinoſi obtinui uncias duas & ſemiſſem, quod pro uncia efficit drachmam ſemis & ſeptem grana cum dimidio. Denuo & hoc reſiduum cum aqua digeſſi & extracti gummoſi denuo obtinui unciam unam, quod pro uncia facit quindecim grana. Jam reſiduum omne in cineres redegi eorumque quatuor uncias obtinui, quæ elixatæ ſunt. Lixivium porro filtro trajectum & evaporatum eſt, quo facto ſalis grana viginti quatuor terræque unciæ tres & ſeptem drachmæ cum dimidia fuerunt reſidua. Tota ſaltem quantitas extractorum & gummoſorum & reſinoſorum non æquat quantitatem extracti gummoſi, quam CARTHEUSERUS accepiſſe ſe prædicat, nec minus de rhabarbaro noſtro citra du-

* Fundamenta materiæ medicæ P. prior Francof. ad Viadrum p. 516. §. 5.

dubitationem aſſerere poſſumus, fuiſſe illud, quod vulgo levanticum vocant.

§. XIX.

Non mihi temperare poſſum, quin errorem vulgarem & in animis Medicorum firmiter radicatum quodammodo corrigam, quo ſibi perſuadent, Moſcoviticum rhabarbarum deterioris eſſe notæ quam orientale vel levanticum. Plerique ſcilicet hac in re TILLINGIUM, qui anteſignanus in rhabarbarologia habetur, cœco forte impetu ſequuntur. De temporibus præteritis non loquor, cum in illis nec inſignis illius copia Ruſſia fuerit exportata, nec mihi notum ſit, qua ratione olim merx hæc in Ruſſiam pervenerit, & ſub quibus cautionibus a Bucharis accepta fuerit. Sed loquor de noſtris temporibus, in quibus totum negotium coram vidi. Afferunt Buchari & Chalmucci rhabarbarum ex iis regionibus, quas ſupra nominavi, advehunt hoc in finitimum Sinis oppidum, quod Kjachtenſe (Kiachta) dicitur. Pharmacopoeus mercis hujus quam optime gnarus a Collegio commerciorum Ruſſico a cancellaria Medica expetitur & in Kiachtam mittitur, cui mandatum eſt, ut mercem hanc forte advenientem quam cautiſſime & exactiſſime inſpiciat, & ſicubi deprehenderit magnam quantitatem vel fraudulentæ vel carioſæ vel alio modo corruptæ mercis, eam repudiet & remittat in terras ſuas. Sicubi vero non valde mendoſam inveniat, eam coëmat. Tum omnes rurſus radices perluſtret, carioſas vel alienas ſegreget & Vulcano committat, quæ vero bonæ notæ ſunt, in ciſtis e ligno optimo factis & extus pice oblinitis mittat Petropolin, unde dein ulterius in Europæas terras mittitur. Hac certe ratione fieri omnino neceſſe eſt, ut Rhabarbarum Moſcoviticum ſub ejusmodi cautionibus ab iis hominibus acceptum, quorum quaſi monopolium eſt, uti ſupra diximus, terreſtri via ex ſolo patrio Petropolin usque deportatum & ab omni humiditate præſervatum levanticum excellentia multis paraſangis ſuperet. Quomodocunque enim quæcunque gentes cum eo agant, vix mihi perſuaſum eſt, methodum excogitari poſſe præſtantiorem, ad conſervandam

vandam hanc mercem. Quare inverſo modo ego quidem Ruſſicum omnibus reliquis præferendum exiſtimo.

§. XX.

Sed ex radice mercem hanc cognoſcere quidem debemus, non vero cognoſcimus plantam. Adhuc duæ notæ ſunt plantæ, quæ deprehenſæ ſunt charactere a Lapathi genere recedere, magnam tamen ſimilitudinem cum eo habere, quarum prima eſt IV BAUHINI in Pinace, noſtrum rhabarbarum III, quod ſub initium hujus tractationis recenſuimus, & forte etiam noſtrum II. Differentiam certe indicare non valemus. Etiam hic ſubeſt aliqua auctorum confuſio. Cl. BOECLERUS l. c. p. 112 ſcribit: Ratione originis quoad partem conſentit cum authore (HERMANNO) COMMELINUS, qui etiam aſſerit, Rhaponticum verum & Rhabarbarum eſſe unam eandemque plantam, partem craſſam eſſe Rhabarbarum, inferiorem vero minusque craſſam eſſe Rhaponticum. Diſſentit TOURNEFORTIUS, & peculiarem plantam eſſe contendit &c. HERMANNUS autem: *Rhabarbarum & Rhaponticum conſimiles flores & ſemina habent, & facie plantarum nihil differunt, ſed tantum ratione radicis, idcirco præſumitur unam eſſe plantam, diverſitas radicis oriri poteſt a ſolo* &c. Mihi non notum eſt, quo in loco allatam aſſertionem faciat COMMELINUS, quæ certe vix aliqua gaudet veriſimilitudine. Potius crediderim, IV loco memoratam a nobis plantam eſſe *Rha* & *Rheum* DIOSC. utpote cujus radix & externa facies, qualis in MATTHIOLO l. c. a C. BAUHINO p. 445 & a TABERNAEMONTANO l. c. P. II. p. 593 & a IO. BAUHINO T. II. p. 989 icone ſatis viva exhibetur, viribus etiam, quales a dictis aliisque auctoribus recenſentur, ſimillima eſt, quam etiam in Sibiria vidi ad Bielam & Judomam fluvios, pluribusque in locis lapidoſis effoſſam & Petropolin miſſam, Medicisque & Pharmacopoeis ad examinandum propoſitam, quorum nullus erat, qui poſt inſpectam radicem dubitaret, eam eſſe verum officinarum Rhaponticum: ſed & ego & STELLERUS, qui botanico examini ipſis his in oris, ubi hoc Rhaponticum effoſſum erat, plantam

ſubjecimus, nullam dubitandi cauſſam habuimus, quin ipſa planta *Lapathum rotundifolium* CLUS. exprimeret; quod ſecundum characterem botanicum & lapathum genere exprimit, & a rhabarbaro noſtro II & III revera etiam genere diverſum eſt, atque ſi de hoc loquantur auctores, quod a Rha fluvio nomen acceperit, modo demonſtratum ſit, quod Rha Wolgam fluvium denotet, etiam hic nulla erit contradictio: paſſim enim ad illum fluvium occurrit, & a locis ejus præcipue natalibus via patet per Wolgam fluvium.

§. XXI.

Si itaque rhabarbari planta genere a lapatho diverſa eſt, magna cadit ſuſpicio in Rhabarbarum noſtrum II & III, quod vulgo Rhaponticum Thracicum appellant, ſic ut vereri liceat, ut veram conſtituat rhabarbari plantam. Sed regerunt auctores, quod apud nos provenit, radicem in longum nimis producere, non in tantam amplitudinem excreſcere, viſcoſius eſſe, minus amarum, venis non eodem modo tinctis gaudere, facilius corrumpi, imo vix a rhapontico off. differre, duplam ſaltim quantitatem requiri, ut effectum purgantem edat. Mihi quidem hæc dubia non videntur magni eſſe momenti. Locus natalis mire plantas variare poteſt, & jam ſupra eandem conjecturam de hac planta ab HERMANNO allegatam citavi, & botanicis quidem mirum videri hoc non poſſet, ejusmodi ſpectaculis aſſuetis. Hominibus aliis rapæ radices variæ, diverſis locis ſatæ, exemplo & illuſtrationi eſſe poſſunt.

§. XXII.

Sed & alia planta ſimilis generis adhuc eſt. Nimirum

Rheum foliis ſubvilloſis LINN. H. Ups. p. 98. n. 2.

Rhabarbarum Sinenſe, folio criſpo, flagellis varioribus & minoribus AMM. *Ruth.* n. 9. p. 7.

Lapathum Bardanæ folio undulato glabro ISAAC. RAND. *Hort.* CHELSEI. * 109. fide Cl. LINN.

Rha-

* Lond. 1739. 8.

Rhabarbarum verum, folio criſpo undulato, flabellis ſparſis D. SCHOBERI H. Carolsruhani IOS. RISLERI p. 136. Etiam nos tam Petropoli, quam hic enutrivimus plantam, quæ non male ubicunque provenit. Characterem rhabarbari, uti a TOURNEFORTIO & recentioribus adſumitur, tuetur, & differentiam ejus ſpecificam Cl. LINNAEUS in loco allegato optime explicat, niſi excipias, quod villoſitas foliorum non ſit major, quam in planta, priori § allegata. Omnium maxime notabilis differentia hæc eſt, quod hujus caulis altior ſit, ſpicæque floriferæ minus denſæ & altiores, totaque planta anguſtior, non adeo in latum diffuſa, uti ſuperior.

§. XXIII.

Prioris inſtar plantæ radicis minime omnium ſimilis eſt radici, quæ pro vero rhabarbaro venditur, nec colore, nec conformatione externa, nec viribus. Sed nec aliud aufugium nobis reſtat, niſi id, quo in præcedenti ſpecie uſi ſumus. Forte climatis aut naturæ ſoli diverſitas hanc nobis diverſitatem parit. Dedimus omnem operam, ut in terra optima enutriretur, ut etiam fimo quotannis terra pinguior fieret, ſed impedire non potuimus, quin in longum deſcenderet, licet etiam ſubinde terram circum apprimi curaverimus, quam encheireſin in Selini radicibus amplioribus reddendis interdum cum fructu adhiberi ſcimus. Etiam, quod ad colorem ſpectat, vix diſcrimen a prioris plantæ radice obſervavimus; cui etiam, quod ſpectat ad purgantem effectum, ſimilis fuit, quum nimirum vix cognoſceretur, niſi doſi reſpectu rhabarbari dupla ſumta. Contuli etiam cum rhabarbaro ratione extractorum. Hujus rhabarbari hic in horto plantati & per quatuor annos continuos enutriti, ut radices eſſent ſatis amplæ, quantitatem aliquam ſiccavi, & ejus bene ſiccati libram unam ſive ſedecim uncias in taleolas conſciſſas cum aquæ fontanæ ſufficienti copia per ſat longum temporis intervallum calore modico digeſſi, & extracti gummoſi obtinui uncias ſex & drachmas ſex; ſecundum digeſſi cum ſpiritu vini rectificato & extracti reſinoſi obtinui uncias duas

 &

& drachmam ſemis. Quum & tertium ad modum rhabarbari (§. 18) explicatum cum aqua rurſus digererem, gummoſi extracti adhuc obtinui drachmas duas. Ex una igitur uncia primum extracti gummoſi prodierunt tres & $\frac{3}{8}$ drachmæ ſive viginti duo grana cum ſemiſſe. Ex unica uncia prodiit extracti reſinoſi drachma una & fere ſesquigranum. Gummoſi denique tertium prodierunt ex unica uncia grana ſeptem cum dimidio. Reſidua radix in cineres redacta eſt, ex quibus cineribus affundendo aquam lixivium fuit extractum, quod novem granis ſalis lixivioſi farctum erat. Terra a lixivio reliqua pondus dimidiæ tantum unciæ æquabat, & obſcure erat cinerea, quæ in Rhabarbaro vero albidioris vel certe multo dilutioris erat coloris.

§. XXIV.

Summe itaque veriſimile eſt, rhabarbaro vero adſcriptam a MUNTINGIO plantam §. 10 eſſe commentitiam, II & IIIum noſtrum rhabarbarum plantam eſſe unam eandemque & rhabarbarum §. 22 nominatum & deſcriptum eſſe ſpeciem ſecundam ejusdem generis, & utramque forte verum rhabarbarum proferre, modo climatis & ſoli opportunitas huic proventui faveat. Saltim vix veriſimile eſt, poſt tot annorum decurſum plantam hanc nos latere potuiſſe, inprimis cum & lucrum & ſcientiæ cupido dudum occupaverint & accenderint animos Europæorum, ut quævis ad eam acquirendam tentaverint.

§. XXV.

Nec id veri ſpecie caret, Rha & Rheum DIOSC. quod ſub n. IV a nobis propoſitum eſt, non differre ſpecie ab Hippolapatho rotundifolio montano C. B. *Pin.* b. p. 115, quia ejus radix in loco natali collecta tantam habet cum rhapontico officinarum ſimilitudinem, ut dignoſci invicem nequeant.

§. XXVI.

V & VI a nobis propoſitæ plantæ dubio omni carent. Referuntur apud recentiores ad Centaureæ genus, etiam

recen-

recentiores materiæ medicæ ſcriptores *Rhaponticum ſpurium* appellant. Vix aliunde quam ex Helvetia adhuc ſub nomine rhapontici circumferri audimus, unde etiam in officinis noſtris exolevit, nec proprie ad hanc tractationem ſpectat. I. BAUHINUS demonſtrat, quod Rheipontici ſuccedaneum quinto loco a nobis memorata planta vocari debeat, a qua ſpecie, non quidem viribus, differat loco ſexto adducta. Radix oblonga eſt, foris fuſca, intus flaveſcens, ſaporis amari & adſtringentis, odoris, ſi recens, fortis admodum ac nauſeoſi. * In jecinoris affectibus, in hæmorrhagiis, vulneribus, caſu ab alto, ſanguine congrumato frequentiſſime tam intus quam extus radix adhibita fuit. Plura de hisce plantis addere meta nobis præfixa non permittit.

CAPUT III
DE
RHABARBARI OFFICINARUM VIRTUTIBUS MEDICIS.

§. XXVII.

Equidem mihi non ſumo, de virtute ejus tinctoria hic disſerere, ne extra oleas quaſi vager, & quæ expertis tinctoribus relinquenda puto, perſequar. Nolui tamen de virtute medicinali plane ſilere, ut eo ſpatioſior campus exiſteret diſputatorius: vix enim amplior eſſe poteſt, quam ille, qui medicas virtutes explorantibus liberum aditum concedit.

§. XXVIII.

Mitiſſimum non minus quam tutiſſimum laxans eſt, & ſolida ſi in ſubſtantia, quod ajunt, ſumatur, aut infuſo aquoſo, roborat, bilem inertem ac viſcidam amaritie ſua corrigit & abſtergit, quin naturalis defectum, ante prandium ac cœnam manducatum, ſupplet, & egregie munere illius chylifica-

* CARTHEUSER l. c. p. 521. §. IX.

lificationis tempore perfungitur; hinc ictericis, qui bilis inertia, aut plenario in inteſtinis defectu laborant, præ reliquis commendandum venit. Leniſſime denique urinam pellit, humores craſſos, itemque impuritates, meatibus atque canaliculis hinc inde inhærentes, reſolvit, & vires proinde eximias exſerit in cruditate ventriculi acido-pituitoſa, læſa chylificatione, diarrhœis, lienteria, cæliaca, dyſenteria, ictero, vermibus, calculo, ſegnitie alvi apud hypochondriacos, fluore albo, ac variis morbis aliis, qui leniora evacuantia ac ſimul roborantia poſtulant. Laxandi fine in pulvere apud adultos, a ſcrupulo uno ad drachmam ſemiſſem, vel ſolum, vel cremore tartari, ſale Ebshamenſi, Sedlizenſi, nitro, aut alio ſale neutro remixtum, in infuſo aquoſo, vel vinoſo autem, a drachma una ad duas, quin dimidiam ſubinde unciam, exhibetur. Sin idem vero, reſolvendi, abſtergendi & roborandi ſcopo aliis addere placet, grana pauca pro una doſi ſufficiunt. Eſt §. 7 materiæ medicæ Cl. CARTHEUSERI Part. I. Sect. X. Cap. III.

§. XXIX.

Præcipua quidem virtus eſt laxativa. Multi Medici gradus, qui diverſi ſunt in laxantibus, diverſis nominibus exprimunt. Sic primo loco ſunt humectantia, ſive diluentia, ubi vix ulla vis ſtimulans adeſt, ſed fere ſola humectatio fibras inteſtinorum relaxat, ne propter nimiam imbecillitatem continere queant, quæ ipſis inſunt. Secundo loco ſunt eccoprotica, quæ fæcibus duris liberant; Laxantia, quæ & relaxant fibras totius corporis & inteſtinorum; purgantia, quæ ſimul cum fæcibus inteſtinalibus alios liquores e corpore expellunt; Draſtica denique, quæ & inteſtina purgant, & commotionem validam & fere febrilem in ſanguine excitant, & humores valide propulſant. Purgantium rurſus diverſa ſtatuuntur genera, hydragoga, cholagoga, melanogoga, & quæ ſunt alia. Vix certe eſſe credo, qui ſingulari humori dicata ſint, qui hunc vel illum humorem magnetis inſtar cujusdam fortius trahant, quam alium. Rhabarbaro præcipue

pue virtus cholagoga adſcribitur. Hæc virtus a ſola mitiori natura ortum trahit. Mitiora purgantia bilem ducunt, fortiora aquam. Mitiora fibras inteſtinales non multum irritant, hinc nec nimium laxant, ineſt ſimul rhabarbaro virtus quædam adſtrictoria: ergo & rhabarbarum roborat. Veteres noſtri Medici, ſapientia nimia an vera ratione ducti, paſſim commendant, ut purgantibus adſocientur roborantia & adſtringentia. "Verum non approbo, inquit IO. BAUHINUS & ex eo RAIUS, eorum morem, qui in dyſenteria a„ principio adſtringentia exhibent: ii augent morbum, dum„ per ea retinent educenda: nempe acres, malignos & putri-„ dos humores; quo natura vergit, eo ducere oportet, ſi per„ convenientia fiat loca: ſi igitur ſtatim a principio educantur„ convenientibus purgantibus, ſublevantur cito, & poſtea„ tuto adſtringentibus uti licet." Eo ipſo vero tuto adhiberi poſſunt hoc in morbo rhabarbarina, quia virtus eminens, & qua primum effectum edit, laxans eſt, tum vero præſtito hoc effectu virtus roborans & adſtringens demum ſe exſerit. Interim eorum morem, qui in omni diarrhœa & in dyſenteria quacunque ab initio morbi ad finem usque rhabarbarinis uti volunt, experientia convictus damno, licet multi priorum Medicorum ita ſenſerint, nec pauci hodie adhuc ita ſentiant, qui ſub progreſſum morbi rhabarbarum toſtum ſubſtituunt, quod virtute adſtringendi unice præditum eſt. RAIUS de ſe profitetur, *ſe rhabarbaro toſto in dyſenteria bono cum ſucceſſu uſum eſſe, etiam in ſuo ipſius corpore.* Vidi ego olim, in dyſenteria caſtrenſi, cum Medicus continenter exhiberet rhabarbarum, plures quovis fere die mortuos eſſe; cum vero Medicus hic forte fortuna ipſe contraxiſſet morbum, aliusque in ejus locum ſufficeretur, hunc proſcripto rhabarbaro ſolis medicamentis roborantibus, pauca immixta opii quantitate, intra breve tempus omnibus hoc morbo laborantibus ægrotis noſocomium liberaſſe. Bilem corrigere, & naturalis defectum reſarcire, quod vulgo dicunt, cum grano ſalis accipiendum eſſe putem. Amarities vix tanta videtur, quanta ad corrigendam bilem vel ad ejus defectum reſarcien-

dum

dum opus eſt. Effectus bilis in corpore humano non a ſola ejus amaritie pendet, ſed potius a virtute ſaponacea, quæ vix in Rhabarbaro demonſtrari poterit. Totum potius negotium leni vi purgante abſolvi videtur. Magna enim commotione ad bilem evacuandam, ſi quæ in inteſtinis qualitate peccans præſto eſt, aut etiam ad ductum choledochum, aut ad cyſticum, aut ad ductus hepaticos bilis reſerandos non opus eſſe apparet, quum, quod ſpectat ad inteſtina, medicamenta fere non mutata virtutem exerceant, nullumque viſcus actioni medicamentorum, in inteſtina effectum exercentium, tam facile ſit ſubjectum, quam hepar, propter viciniam loci, quæ conſenſum non difficulter impertit, etiam nullum fere ſit viſcus, quod ductus habeat excretorios ampliores & rectiores, quam hepar. Nec virtus diuretica adeo extra dubitationem poſita eſt. Aſſeri omnino poteſt, nullis non purgantibus virtutem ineſſe urinas pellentem, non propterea, quod fundant ſanguinem, aut quod ſerum ejus quacunque virtute in renes derivent, ſed potius ex ea cauſſa, quæ facit, ut inter alvi depoſitionem aliquis ſimul urinam nec volens mittat. Vermibus reſiſtit rhabarbarum tanquam amara res, & tanquam purgans, licet meliora anthelmintica omnino ſint. Calculo directe mederi nequit. Eum enim non ſolvit. Segnitiei alvi egregie occurrit, qua in re non magis laudem meretur, quam omnia medicamenta leniter laxantia. Cruditati ventriculi acido-pituitoſæ reſiſtit, quoniam vim aliquando habet acidum abſorbentem & ſimul evacuantem.

§. XXX.

Ultima verba Cel. CARTHEUSERI, *quod ſcopo reſolvendi, abſtergendi & roborandi grana pauca pro una doſi ſufficiant, ſi aliis hæc addere placet*, ulteriorem conſiderationem merentur. Eminentem virtutem abſtergentem priori § haud conceſſimus. Reſolventem ineſſe concedimus, quatenus virtutem laxantem & roborantem agnoſcimus, & quibus junctis ſive ſibi ſuccedentibus reſolvens oriri poteſt. Forte & ſola tinctoria vis ſufficit, quæ, pluribus auctoribus id annotantibus, plerum-

plerumque reſolventem virtutem connexam habet. Vix tamen ſciam, Medicos in tam exigua doſi magnam fiduciam collocare. Unicus mihi olim occurrit caſus, ubi virtutem quandam, neſcio quam, admirari licuit. Erat homo temperiei ſanguineæ, puſtulis innumeris & pulverulentis albicantibus adſperſionibus non parum in facie fœdatus, qui per multos annos medicinam ſibi exhiberi geſtiebat, & quosvis fere Medicos facile obvios adibat, ut ipſius ſuſciperent curationem. Obviam itum eſt medicamentis ſanguinem purificantibus & alterantibus, evacuantibus, tandem etiam ſialogogis, ſalivationem excitantibus, quæ omnia, licet diu continuata, incaſſum adhibita fuerunt. Vetula tandem ſuadet, ut unciam unam ſemis rhabarbari in pollinem triti ſibi coemat, & quavis hora ejus adſumat grana quatuor, donec tota quantitas conſumta eſſet. Si vero placeret, ſomnum noctis tempore capere; id interdictum non eſſe. Nihil alimentorum durante uſu hujus medicamenti aſſumendum ſuadebat, præter juſculum avenaceum, quo ad lubitum ſemel vel bis per diem uti poſſet. Morem geſſit ægrotus, & intra decem dierum ſpatium ſe a morbo, quo per plures annos detentus fuerat, liberatum fuiſſe adſeruit.

§. XXXI.

Toſti rhabarbari apud multos magna eſt exiſtimatio. Torror eum in finem inſtituitur, ut virtus adaugeatur adſtringens. Sed non uno eodemque modo ejus præparatio fieri ſolet. Simpliciter aliquando torrefaciunt in cacabo, idque interdum fortius, aliquando lenius. Qui poſterius faciunt, eo maxime reſpiciunt, ut vim aliquam purgantem retineant atque conſervent, quæ nimium torrendo, ut inquiunt, perit. Jam quidem adnotavit HERMANNUS, * vim purgantem eſſe volatilem, quia extractum ejus aquoſum ſit purgans & ſiccatum ætate vim purgantem amittat; quia aqua ejus deſtillata ſit nauſeoſa, acris & purgativa, BORRICHIO id in actis

* Cynos. mat. med. Tom. I. pag. 115.

actis Hafn. obſervante; quia ejus odore ſolo quidam ad ſedes moveantur; denique etiam, quia coctione virtutem purgantem deponat. Sed volunt quidam, ne ulla vis purgans ſuperſit. Hinc torrent eousque, donec omnem aufugiſſe nemo dubitet. Hinc & nova methodus præparationis pharmacevticæ innotuit, quæ non minus frugalitate ſe commendare poteſt. Quum torrore diuturno omnis virtus purgans fugetur, ſolaque terrea pars ſervetur, ne virtus purgans fruſtra pereat, hæc methodus jubet cum aqua cichorei tincturam rhabarbari ante extrahi, & reliquam rhabarbari partem ſiccari & ſervari *, poteſt etiam, ſi quis deſideret, torreri. Ut, quid ipſi ſentiamus, libere profiteamur, nimis liberali manu rhabarbarum torrere præcipimus. Quodſi torremus eousque tantum, ut aliqua tantum vis purgans pereat, minor doſis eundem uſum præſtabit, vel ſi Medicus velit, ut vis adſtringens emineat, rhaponticum vel verum, ſeu quod tunc magis conveniet, ſpurium ſubſtituet; ſi eousque torremus, ut nihil virtutis purgantis remaneat, alia etiam adſtringentia ex claſſe vegetabilium ſuperſunt, radices tormentillæ, biſtortæ, omnium fere potentillarum & geraniorum, lapathorum &c. nux moſchata toſta, quæ parca doſi effectum ſufficientem in adſtrictione edunt. Non eſt, quod repudiem illam rhabarbari partem, quæ putrefacta & corrupta in meditullio rhabarbari nonnunquam cernitur, & quæ vulgo ſpongioſa eſt, coloris e rufo fuſci, quam LEMERYUS pater ** conſervari jubet eo, quod experientia duce illam deprehenderit virtute magis adſtrictiva præditam, & in fluxu ſanguinis aut dyſenteria rhabarbaro præſtanti magis convenientem. Sed quod noſtrum de toſto rhabarbaro eſt judicium, idem etiam eſto de hoc corrupto.

§. XXXII.

* IO. HELFR. IUNGKEN Lexicon chymico-pharmacevtic. P. II. p. 515.

** Traité univerſel des drogues ſimples, Paris 1714. 4. pag. 718.

§. XXXII.

Quod ad compoſitiones ſpectat, quæ in officinis pharmaceuticis proſtant, vix ullæ ſunt, quam extractum aquoſum vel ſpirituoſum, vel mixtum, uti docet Diſpens. Brandenb. Syrupus de cichor. c. Rhab. Syrup. de Rhabarb. Deodat. Sanguis cichorei, anima rhabarbari, tinctura rhabarbari compoſita, elixir proprietatis cum rhabarbaro & elixir ſalutis. Inter extracta reſinoſum omnium optimum, aquoſum debiliorem effectum edit. Omnium aptiſſimum eſt Brandenburgico more paratum, quod & facilius conſervari, & contra ſitum muniri poteſt. Deinde de his extractis in genere monendum eſt, ut in vaſis probe clauſis & in loco frigido conſerventur, ne vis volatilis tam cito pereat. Syruporum ſupra indicatorum uterque virtutem laxantem habet, magis tamen poſterior, cujus compoſitio minus ſeplaſias olet, quo vitio etiam exemta eſt prior in Pharmacopœa noſtra Wirtenbergica. Sunt variæ in variis Diſpenſatoriis compoſitiones hujus ſyrupi de cichoreo cum Rhab. quæ potius multitudine ingredientium quam eſſentialiter differunt. Nec plane de ſanguine cichorei ſilere volui, qui in Viennenſibus & Uratislavienſibus & fere in omnibus Sileſiacis officinis habetur, cujus compoſitio mihi videtur commendabilis, & ſequenti modo ſe habet. In aquæ cichorei menſura una Wirtenbergica ſive unciis quinquaginta ſex in mariæ balneo macerentur fol. cich. unciæ octo & fol. chamædr. unciæ quatuor ſub levi digeſtione. Liquor exprimatur, qui denuo balneo impoſitus cum eadem quantitate novorum foliorum cichorei & chamædryos per triduum digeratur. Denuo exprimatur & tertium cum nova quantitate eodem modo digeſtioni ſubjiciatur. Ad ſingulas liquoris expreſſi libras ſingulæ poſtea infundantur unciæ rhabarbari veri electi, quibus per biduum denuo digeſtis, percolatis & filtratis tot ſachari albiſſimi addantur libræ, quot habentur extracti liquoris, & in juſtam ſyrupi conſiſtentiam redigantur. Leniſſime purgantem & mire reſerantem habet effectum. In Diſpenſatorio Viennenſi A. 1729. edito p. 52 & 53 eſt ſanguis cichorei ſimplex, chamædryatus,

& cum rhabarbaro, qui totidem infuſa in communicata a me deſcriptione in unum quaſi congeſta & in Syrupum verſa atque ſalibus alcalinis orbata ſunt, quæ conſervationi ſyruporum non admodum favent. Anima rhabarbari, ut & elixir ſalutis ſunt medicamenta egregie aperitiva, prius etiam propterea maxime commendabile eſt, quod ſalia admiſta habeat alcalina fixa, quæ virtutem aperientem & antacidam non parum augent. Ceterum tinctura Rhab. ROLFINC. vix ab anima rhab. noſtræ pharmacopœæ differt. Tinctura rhabarbari compoſita & elixir proprietatis cum Rhabarbaro vere ſtomachica ſunt, prior, quando vel ſtatus ſanguinis orgaſticus vel nativa diſpoſitio a calidorum uſu metum non incutiunt. Poſterius in metu ejusmodi magis convenit, ut & elixir ſalutis, quod etiam præferrem illis in morbis, ubi hæmorrhoidum fluxus incrementum morbi concitare poſſet. Præter hasce compoſitiones multæ aliæ ſunt, partim exoletæ, partim hinc inde tantum officinales, uti ſyr. diaſereos Andernaci, decoctum aperitivum majus cum rhab. & ſpec. diaturbith cum rhab. quas ſuo relinquimus loco, cum de iis ex ſupra datis nemo non judicium facile ferre queat. Nec difficile erit Medico, pro varietate indicationum variis rebus, inprimis etiam ſalibus neutris commiſcere rhabarbarum, queis hæc vel alia illius virtus augeri poſſit.

§. XXXIII.

Stranguria laborantibus, ad hæmorrhoides pronis, ut & gravidis rhabarbarum noxium eſſe quidam aſſerunt.* Etiam vertiginoſis aliquando nocere propter ſuum fumum & ponticum odorem, cerebrum petentem & turbantem, HERMANNUS ** auctor eſt. Sed MESUES & ex eo I. BAUHINUS: *** *Innoxium eſt rhabarbarum, omni tempore tuto datur, omni eſt ætati ſalubre, atque adeo pueris & prægnantibus*; quod multi-

* BOECLER in HERMANNI Cynos. Tom. I. p. 120.

** In Cynos. Med. ed. BOECLER. Tom. I. p. 116.

*** L. II. p. 1070. a.

multiplex experientia comprobavit. Hæmorrhoidibus excitandis valde favent aloëtica, forte etiam quæcunque draſtica purgantia. Rhabarbarina ex hoc fonte nocere nequeunt; quia hæmorrhoides non excitant. Sed ſunt Medici, qui hæmorrhoidum fluxum in nullo non morbo ſalutarem prædicant, qui ergo rhabarbarina hominibus ad hæmorrhoides pronis noxia eſſe judicant propter rhabarbari virtutem adſtringentem. At in horum ſententiam nonniſi ſumma neceſſitate adductus deſcenderim, quando forte viſceris alicujus obſtructionem nullo alio modo levare poſſem, niſi hæmorrhoides aperirem. Virtus etiam rhabarbari adſtringens hic certe non metuenda eſt, quum virtus purgans emineat eaque lenis, quia poſt uſum rhabarbari neminem facile queri audias de tarda alvo, uti ſæpius poſt draſticorum uſum fieri aſſolet. Neque ſtranguria laborantibus ejus uſus nocere poteſt, quia propter mitem rhabarbari naturam nihil in eo eſt, quod dolores augere poſſit. Quod attinet ad vertiginem, HERMANNI conjectura originem trahit ex obſervatione CCVIII IO. MAURITII HOFFMANNI, * ex qua nihil aliud conſtat, quam puerum octennem poſt captos duos rhabarbari ſcrupulos quinquies alvo evacuatum fuiſſe, ſed die altero & plurimis ſequentibus de vertigine interpolata querelas moviſſe. Quis dicat, vertiginem ex uſu rhabarbari originem traxiſſe, niſi apertiſſimi paralogiſmi accuſari velit? Nullus præterea rhabarbaro ineſt odor ponticus, ex quo Pontum cum ſinica regione commutavit.

§. XXXIV.

Et hic quidem ſubſiſtere poſſem. Nolui vero in gratiam juniorum practicorum monitum quoddam, quod non tam therapiam ſpectat, quam ſigna morborum, quæ ex urina elici poſſunt, prorſus prætermittere. Rhabarbarum urinam bene coloratam & pinguem reddere, effatum eſt Cel. HERMANNI. ** Vix ejus vel parca doſis aſſumi poteſt, quod inde

* Eph. N. C. Dec. III. Ann. 2. p. 326.
** l. c. pag. 115.

inde non tingantur fæces & præcipue urina, quæ aureum ab illa adſumta colorem contrahit, etiam fæces magis flavo quam a bile tinguntur colore. Sed & icterici ejusmodi urinas mittere ſolent. Caveant igitur tirones practici, ne ex urinis eo colore tinctis præſagia faciant ſine neceſſariis cautionibus. *Etiam peritiſſimo*, inquit Cel. BOERHAVE, * *medico imponi poteſt, ut ex urina male præſagiat, ſi æger aſparagos cœnaverit, deinde noctu caſſiæ unciam cum rheo ſumſerit, ita enim lotium reddet nigrum & fœtidiſſimum, & medicus peritus, ſed ignarus hujus diætæ edicet urinam hominis eſſe brevi ex gangræna partium internarum morituri, qui altero die ſaniſſimus medicum deridebit.* Ipſe ejus rei experimentum nunquam cepi, quum etiam poſt fata illuſtri auctori diffidere religio fere eſſet. Scribenti vero diſſertationem fas viſum eſt, illuſtris auctoris experimenta confirmare. Quod cum agerem, aſparagorum vero cibum ob defectum experimento jungere non poſſem, ſuſpicabar ex urina forte abfuturum quidem eſſe fœtorem, ex caſſia autem & rhabarbaro ſperavi proditurum eſſe nigrum colorem, credens, ubi eventus ſuſpicioni meæ reſponſurus eſſet, non dubitari poſſe de experimenti ſucceſſu. Dedi igitur duobus hominibus, & ſingulis quidem pulpæ caſſiæ unciam unam, cui antea immiſceri juſſeram pulveris rhabarbari optimi drachmam dimidiam, quibus alvus inde ſoluta fuit, nulla alia vero in urina tinctura conſpici poterat, quam a rhabarbaro. Dubitavi de ratione experimenti inſtituendi. Juſſi medullæ caſſ. fiſt. drachmas novem cum duabus drachmis ipſius leguminis & rhabarb. opt. drachma una & unciis decem aquæ ad dimidias circiter leni igne coqui & colaturam hominem aliquem, antequam cubitum iret, deglutire, qui urinam ſimilem præcedentium miſit. An aſparagorum admixtio nigrum cum hisce colorem excitat, & ſimul fœtoris cauſſa eſt? Hoc experiamur, quando ſuppetent aſparagi.

Addi-

* In ſuis prælect. Acad. in proprias inſtitut. edente HALLERO Vol. VI. pag. 319.

*** *** ***

Additamenta ad Caput II.
pro fuga vacui.

1) Quæ §. 10 de icone Rhab. MATTH. ſcripſimus, quod ab ea non abludat icon TAB. Herb. P. II. p. 590. a. exhibita, nec icon a I. BAUHINO Tom. II. p. 989. propoſita, neque etiam MUNTINGIANA in Diſs. de *vera herba Britannica* data, & in *Phytographia curioſa* repetita, eam ſententiam mutandi necdum cauſſas habemus. Quum autem interea temporis, quod diſſertatio noſtra typis excudebatur, *Rhabarbarologiam* MATTHIAE TILINGII * percurreremus, aliam & uti inſcriptio vult, rhabarbari veri iconem ei adjectam deprehendimus. Saltim adſcripta iconi Tab. II. ad latus pagina 71. provocat ad deſcriptionem illa pagina contentam; unde vero hanc iconem ſumſerit TILINGIUS, ibidem nobis non patefacit, an deprompſerit ex BOIMI *flora Sinica*, quam nos non vidimus, an ex icone IOA. BAPT. RAMNUSII, MARCI PAULI VENETI *itinerario* inſerta, & a mercatore ingenioſo Perſa accepta,** quod itinerarium conferre nobis non licet, dijudicare difficile eſt. Undecunque autem deſumta ſit, merito etiam ſuſpecta eſt, licet MATTHIOLANA & MUNTINGIANA icone aliquanto minus naturæ repugnare videatur. Diſpoſitio caulis floriferi thyrſis lapathi paullum ſimilior eſt. Attamen folia a foliis iconis Matthiolanæ non multum

* A. 1679. Francof. typis excuſam.

** l. c. pag. 76. b.

multum abludunt. Magni illam facere videtur TILINGIUS, quod etiam titulo *Rhabarbarologiæ* ipſam præfixerit. Sed repeto, omnino ſuſpecta eſt, quia ſub finem cap. V. ubi de *forma Rhabarbari* agit, conferri jubet TABERNAEMONT. Herb. Tom. 2. Sect. III. cap. 6. IOACH. CAMERARII Comm. in Herbar. MATTHIOLI Lib. 3. cap. 2. ſive ed. Francof. 1586. p. 414. in quarum utraque nulla alia eſt, quam icon MATTHIOLANA, uti de priori jam ſupra obſervavimus.

2) In §. 21 adſtruximus, ſpecies rhabarbari n. II & III a nobis propoſitas eſſe *rhaponticum thracicum & veram rhabarbari conſtituere plantam*, in cujus confirmationem ex TILINGII libro mox recenſito p. 77, de P. MARTINIO addere liceat, illum idem hoc, uti videtur, Lapathum Amſtælodami in horto Nob. Nobelarii A. 1654 pro *vero rhabarbaro* agnoviſſe.